



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarraconensis Dialogorum Libri Duo de emendatione Gratiani

**Agustín, Antonio**

**Parisiis, 1672**

XX. De eadem re.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10634**

## DE EADEM RE.

*Dialogus vigesimus.*

C. QUOD de Joanne VII. femina scrip-  
sit Contius, lippis & tonsoribus notum,  
cur improbetur, scire cupio. A. Fitne tibi ve-  
rissimè quod nemo alicujus auctoritatis scrip-  
tor, nisi Martinus Polonus, & Marianus  
Scotus, sive quis alius tradidit, quod contra  
rerum naturam est, quia lippis & tonsoribus,  
ut dicis, notum videatur, ideo verum esse  
credere? C. Quo pacto contra rerum natu-  
ram esse dicis? Annon potuit accidere ut la-  
teret femina inter viros? A. Potuisse non ne-  
gabo; sed faciliùs Byzantij quam Romæ, ut  
Leo IX. scribit, ubi sæpe eunuchi Episcopi  
facti sunt. Christus verò, qui ne matrem  
quidem suam voluit sacerdotem fieri, non  
passus esset feminam Petri successorem fieri,  
claves regni cœlorum tenere, in suprema illa  
sede turpem illam meretricem sedere quæ tot  
habuit martyres & confessores; de qua illud  
dicitur, aut sanctos recipere, aut sanctos fa-  
cere. C. Quasi verò non aliquot fuerint pec-  
catores electi, qui postea non meliores vitam  
turpiter egerint. A. Id si accidit aliquando,  
peccatis populorum adscribitur. At contra  
rerum naturam esse dixi, quia sicut nullum or-  
dinem sacrum recipere potuit, ita neque sa-  
cerdos neque Pontifex fieri, & electio nulla

*Leo IX. epist.  
1. cap. 23.*

*l. Quæritur.  
de statu hom.*

atque irrita fuit. C. Quid si utriusque sexus erat? A. Si in virili sexu incaluisse, ut Jurisconsultus ait, Pontifex fieri potuit. B. At hæc peperisse dicitur. A. Nunquam Leo IX. (qui multis annis posterior fuit Joanne VII. & IIX.) feminae electæ Constantinopoli fecisset mentionem, si idem crimen in Romanum Pontificem obici posset. B. Placet hoc quidem. Sed quid dicis de Episcopa, Presbyterica, Diaconissa, & Hypodiaconissa, quarum mentio fit in Conciliis, & de Diaconissis apud Justinianum & alios scriptores? A. Episcopi uxorem, Episcopam dictam invenio, non quam duxit Episcopus, sed quam antea habuit, quæ continentiam vovit cum is sacros ordines suscepit. Sic Presbyterica dicebatur Presbyteri uxor similis, sic Diaconissa Diaconi, & Hypodiaconissa Hypodiaconi uxor. Harum tamen duplex significatio est: quia præter has uxores, erant aliæ viduæ, quæ in baptismo feminarum & in oblationibus & quibusdam aliis ministeriis honestius inter sui sexus personas versabantur quàm Clerici. Sed redeamus ad Gratianum nostrum. B. Distinctione undecima tria incerta capitula notantur, caput secundum, septimum, & octavum. Secundum Nicolao primo in epistula ad Michaëlem Imperatorem adscribunt Ivo in excerptionibus *a* & Gratianus *b* & Demochares & Contius. Ejus capitulis verba in Conciliis non inveni. Alia verba, quæ conjunxit Ivo *c*, inveniuntur in Panormia adscripta esse Leoni quarto ad Lo-

*a Ivo par. 4.  
c. 211. decret.*

*b Dist. 11. c. 2.  
Consequens.*

*c Ivo lib. 2.  
tit. 12. c. 19.  
panorm.*

tharium Imperatorem. Fieri igitur potest ut omnia sint eidem Leoni adscribenda. A. Non Leonis sunt, sed Nicolai in epistula ad Photium CP. quæ lecta est in synodo octava sub Hadriano, actione quarta. (1) B. Capitis septimi pars invenitur apud Augustinum epist. xxxvi. ad Casulanum Presbyterum. quæ inscriptio est apud Burchardum *d* & Ivonem *e* & Gratianum *f* & in libris CæsarAugustano *g* & Tarraconensi *h*. Verba illa *Et sicut prævaricatores & c.* cujus sint ignoramus, licet ab omnibus sint relata. (2) Caput octavum Augustino adscribit Gratianus *i* in libro de fide Christiana; sed nusquam extat. (3) A. Quid de aliis capitibus dicis quæ certa sunt? Memini enim caput quoddam inveniri Augustino adscriptum in libro ex dictis Basilij, quod est Basilij in libro de Spiritu sancto cap. xxvii. ad Amphilochem. B. Rectè admones. Est id caput *v. k* cujus initium *Ecclésiasticarum*. Basilio adscribunt Burchardus *l* & Ivo *m* rectiùs. Pro, *in ministerio*, scribendum est, *in mysterio*. & pro, *par ritus*, *par virtus*. Illud etiam mendosum est: *Benedicimus fontem baptismatis oleo unctiois. Huic accedit quòd ter oleo inungimus quos baptizamus*. Pro quibus apud Burchardum est: *Benedicimus fontem baptismatis, oleum unctiois. Huc accedit quòd ter immergimus quos baptizamus; oleo unguimus*. Apud Ivonem in Panormia priora verba mendosa sunt. Hæc posteriora ita concepta sunt: *Huc accedit quòd ter mergimus, quòd baptizatos oleo ungi-*

P ij

*d* Burch. lib. 3. c. 126.  
*e* Ivo d. ii. 12. c. 22. panorm. & par 4. cap. 78. dec. & epist. 179. vel 79. ad Galterium Belvacem Bibliothecarium. f Dist. v. c. 7. In his.  
*g* Cæs. lib. 1. cap. 19.  
*h* Tarr. lib. 6. c. 125.  
*i* Dist. 11. c. 8. Catholica.  
*k* Dist. 11. c. 5. Ecclesiasticar.  
*l* Burch. lib. 3. c. 127.  
*m* Ivo d. tit. 12. cap. 23. panorm. & d. par. 4. c. 69. decr.

mus. Hæc Demochares probavit. Ivo in excerptionibus Burchardi scripturam in his sequitur. A. Cum Græcis fontibus hæc sunt conferenda, quibus scio Burchardi & Ivonis varietates confirmari. C. Quid illud est? *Vel quæ trifariam digesta super panem & calicem.* A. *Multifariam*, non *trifariam*, scripsit vetus interpres; ut ex Burchardo apparet & ex Nomocanone. B. In extremo capite *in mysteriis observata silentio quàm publicata scriptio* habet Burchardus, *in ministeriis observata magis &c.* Gratianus. A. Id etiam Græcis verbis confirmatur. Totum verò caput præclarum est ad hæreticorum impugnationes tollendas ex traditionibus Apostolorum. Id credo Græcè & Latinè Romanos edituros. B. Quid facturi sint ignoro. (4) De reliquis videamus. Caput decimum sumitur ex epistula Leonis quarta ad Episcopos Siciliae capite sexto; licet neque Anselmus *n* neque Gratianus *o* neque Demochares locum certum indicarint. (5) Caput secundum distinctionis duodecimæ Gregorio adscribunt Anselmus *p* & Gratianus *q* & liber meus Tarraconensis *r*, Anastasio secundo Demochares & Contius Romani Gregorij quarti esse aiunt in epistula ad Episcopos Germaniæ & Galliæ, cujus initium est: *Divinis*. A. Exstat apud me epistulæ ejusdem exemplum; & in Corpore canonum, & initio Conciliorum Colonienfis editionis, in ea collectione quæ inscribitur *De primatu Romanæ Ecclesiæ*, & initium & aliquot fragmenta sunt ejusdem epistulæ. Ini-

n *Anf. lib. 1.*  
c. 45.  
o *Dist. 11. c.*  
10. Hoc ver-  
stræ.  
p *Anf. libr. 1.*  
c. 20.  
q *Dist. 12. c.*  
2. Præceptis.  
r *Tarr. lib. 1.*  
c. 287.

tium etiam invenies apud Anselmum *f* & in libris Cæsaraugustano *t* & Tarraconensi *u*, licet hi omnes ita inscripserint: *Gregorius omnibus Episcopis per diversas provincias constitutis*. Ex eadem sunt varia fragmenta apud Gratianum *x*. de quibus postea dicendum erit. (6) B. Caput tertium inscriptum est *y*: *Nicolaus Michaëli Imperatori*. Sed apud Ivonem variè inscriptum invenitur; & mihi videtur ex duobus capitibus constare quæ tam in Panormia quàm in excerptionibus plenius scripta sunt. Prius caput inscribitur in Panormia *z* ut apud Gratianum; ejusque extrema verba sunt, *pro loco & tempore consuetudines, si illis canonica non obsistat auctoritas, quando una fides per dilectionem operans uni Deo omnes commendat*. In excerptionibus *a* parte quarta inscribitur: *Leo IX. Michaëli Imperatori Constantinopolitano*. Parte verò quinta: *Leo IX. Michaëli Patriarchæ Constantinopolitano*. Et in hac quinta magna pars epistolæ Leonis IX. refertur. In verbis hujus capituli tertij, de quo agimus, tam in parte quarta quàm in quinta scriptum est: *diversa pro loco & tempore consuetudines, quando una fides per dilectionem operans uni Deo commendat omnes, sive commendat omnes*. Eadem inscriptio Leonis IX. ad Michaëlem Patriarcham Constantinopolitanum, & eadem verba quæ esse diximus in excerptionibus Ivonis, exstant in libro Cæsaraugustano. Hæc pars potest Leoni IX. adscribi. Posterior pars potest retinere Nico-

*f* Ansel. lib. 1.  
c. 17.  
*t* Cæs. libr. 5.  
c. 6.  
*u* Tarr. lib. 1.  
c. 286.

*x* 2. q. 6. c. 11.  
Decreto. dist.  
19. c. 5. Nul-  
li.  
*y* c. 5. Scit  
sancta. di-  
stinct. 12.

*z* Ivo d. tit. 12  
c. 18. panorm.

*a* Idem par. 4  
c. 223. & part  
5. c. 44. decr.

Cæsar. lib. 1.  
c. 23.

lai nomen in epistula ad Photium Patriarcham Constantinopolitanum, non ad Michaëlem Imperatorem, ubi hæc verba sunt ab Ivone quoque relata: *De consuetudinibus quidem quas nobis opponere nisi estis, scribentes per diversas Ecclesias diversas esse consuetudines, si illis canonica non obsistit auctoritas, pro qua eis obviare debeamus, nihil iudicamus vel eis resistimus.* A. Ex his quæ refert apparet malè apud Gratianum scribi *constitutiones vel consuetudines*. sed vox *consuetudines* retinenda est, cetera tollenda. Malè quoque in Panormia verba illa *De consuetudinibus &c.* Leoni quarto adscribuntur, & & in excerptionibus Nicolao in epistula ad Michaëlem Imperatorem, & cum illis coniunguntur *Consequens est &c.* quæ Gratianus refert distinctione undecima. Sunt enim omnia ex epistula eadem ad Photium; quæ etiam lecta est in synodo octava sub Hadriano minore, actione quarta. (7) Nunc cetera videamus. B. Caput quintum Nicolai ad Ignatium vel Igarum Episcopum esse dicitur apud Gratianum *b.* Igarum Archiepiscopum appellat Ivo *c.* in Panormia, Igarum Remensem Archiepiscopum idem in excerptionibus, Hicmarum in epistulis. Alij Hincmarum dicendum esse contendunt. Id confirmatur in epist. L I I X. ejusdem Nicolai ad eundem, cuius initium est *Omnia nos portare*: ex qua addi possunt hæc verba, post vocem *dedecus*; *ut temporibus nostris vel falsò insimulari sanctam Dei Ecclesiam permitta-*

Ivo d. tit. 12.  
c. 19. & 20.  
pan. & d. par.  
4. c. 211. decr.

Dist. 11. c. 2.  
Consequens.

b. c. 5. Ridiculi.  
dist. 12.  
c. Ivo d. tit. 12.  
c. 20. in pan.  
& par. 4. ca.  
212. decret. &  
in epist. 54.  
vel 65. ad  
Hugo. Lugdunen  
Archiepiscopum.

mus, vel eas traditiones &c. & pro illis, à patribus suscepimus, illic est, à patribus nostris suscepimus, pro libitu semper errantium. (8)

Caput undecimum d ex duabus tribusve Augustini epistulis sumptum videtur. Nam initium est ex epistula cxix. Pars illa, *Quod enim neque contra fidem*, ex epistula cxix. In fine quædam sunt ex eadem, alia ex epistula xxvi. extrema. Illa verba tollenda esse Romani censuerunt: *Augustinus idem ex auctoritate Ambrosij asserit*. quæ ex scholio inserta sunt. (9) Capite duodecimo e extremo, quod ex eadem cxix. epistula est, vox *sacramentis* in vocem *sarcinis* mutanda est, licet eam Ivo f probaverit & liber Cæsaraugustanus g. Loquitur enim de Judæis, qui legalibus sarcinis, non humanis præsumptionibus, subiciuntur. Romani non omnino vocem *sacramentis* improbant, sed illam alteram in margine ponendam statuunt. (10) Nun liceat mihi ad distinctionem xvi. venire. Nam quamvis multa in aliis dixerint esse mutanda, in hac scheda tantum inuenio de capite illo Gelasij cum lxx. Episcopis, ex Conciliis esse totum describendum, & scio Episcopum Segobientem id multis mendis purgasse. At postrema pars, cujus initium *Ceterum qui libri*, licet superioribus jungant Burchardus h, Ivo i, & Gratianus k, non est in Conciliis, & pars esse videtur alicujus libri de divinis officiis. A. Rectè dictum est. Namque Amilarij librum habeo, in quo hæc sunt, & alia quædam nomine fragmentorum Caroli

d c. 11. Illa autem. dist. 12.

e c. 12. Omnia. e. dist.

f Ivo d. tit. 12. ult. panov. & par. 4. cap. 206. decret. g Cæs. libr. 1. c. 9.

h Burch. lib. 3. c. 222.  
i Ivo lib. 2. tit. 11. c. 2. & lib. 8. tit. 11. c. 1. pan. & par. 4. c. 63. decret.  
k Dist. 15. c. 3. Sancta. p. Ceterum.

Magni edita. Ea verò verba, *Ceterum qui*, usque ad illa, *in septuagesima*, non inuenies apud Burchardum & Ivonem neque in veteribus Gratiani libris. B. Idem Romani notarunt. (II) Distinctione XVI. duo incerta capita ferebantur, caput primum & XIIII. l. Sed primum à te acceperunt, quod ex Isidoro erat in præfatione Conciliorum veteri, non ex hac quæ vulgo nota est Isidori Mercatoris, ut alio die explanasti *m.* Caput XIII. Stephano Papæ ad Luthobium Episcopum Maguntinum adscribunt Ivo *n* & Gratianus. Et quia LXX. capitum Nicæni Concilij & Athanasij epistolæ facit mentionem apud Ivonem in excerptionibus, constat non esse Stephanum primum, sed aliquem ex posterioribus; præsertim cum Maguntini Episcopi à Bonifacio martyre cœperint, qui fuit temporibus Gregorij tertij & Zachariæ & Stephani minoris. Sed quod hic dicit Antiocheno Concilio insertos esse plurimos arbitrari Nicænos illos LXX. canones, velim scire à te an verisimile putes? A. Quod ait plurimos arbitrari, ita ipsum Stephanum inuenisse existimo, licet ego non meminerim alibi legisse. Itaque *Sardicensi* pro *Antiocheno* sufficerem. Namque Antiocheni canones XXV. tantum fuerunt, quorum auctores si illi sunt ad quos Julius scripsit, hostes erant Athanasij & aliorum patrum CCCXIX. Quæ de causa nihil de fide Nicæni Concilij, sed de Paschate tantum statuunt capite primo id Concilium esse observandum. At Sardicen-

1 *Dist. 16. c. 1.*  
 & *c. 13. Vi-*  
*ginti.*

*m Dial. 6.*

*n Ivo lib. 2.*  
*tit. 11. c. 19.*  
*panor. & par.*  
*4. c. 232. decr.*

ses patres catholici aliquot canones scripserunt, qui pro Nicænis habiti sunt, ut constat ex Concilio Carthaginensi sexto. (12) B. Caput tertium Leoni IX. adscribunt Ivo & Gratianus *p* contra epistolam Nicetæ Abbatis monasterij Studij. Exstat libellus Humberti Cardinalis Silvæ Candidæ Episcopi (qui Legatus fuit Leonis IX.) contra eundem Nicetam & alios Græcos; in quo libello hæc eadem verba inventa sunt. Caput septimum *q* Pseudotrullianorum est patrum, ut à te superioribus diebus dictum est. Censura Romanorum fuit: *Hic canon est ex reiciendis, præsertim ob finem de Concilio Cypriani.* (13) Capite octavo *r* de re notissima maximi errores sunt non apud Gratianum solùm, sed etiam in utraque Ivonis *s* collectione & apud Democharem. Verba autem sunt hæc: *tertium Ephesinum, Chalcedonense IV. & V. Item Constantinopolitanum VI. Item Nicænum VII.* Neque enim Chalcedonense fuit quartum & quintum; sed quintum & sextum fuerunt Constantinopoli habita. Quamobrem ita scribunt Romani: *post Chalcedonense IV. item quintum CP. & sextum.* Contius non malè: *& quintum item CP. & sextum.* Fontes quærendi sunt. Sic autem inscribunt: *Ex libro diurno professio Romani Pontificis.* A. Is libernon exstat, quod sciam, hoc titulo. Professionis tamen vidi aliquot exempla. (14) B. Capite nono ex Beda sumpto bis erratum est in Julij nomine. Namque & Nicænam synodum & quintam sub Julio Papa habitam esse

o Ivolibr. 2.  
tit. 11. c. 37.  
panorm. &  
par. 4. c. 105.  
decr.  
p Dist. 16. c.  
3. Clementis.

q cap. 7. Quoniam d. 16.

r c. 8. Sancta. e. dist.

s Ivo d. tit. 11. c. 15. panorm. & par. 4. cap. 132. decret.

c. 9. Sexta, e. d.

scriptum est, cùm annis c c x x x. & amplius inter se distent, & Julius secundus patrum nostrorum memoria fuerit. Rectè tamen Demochares Julij nomen in Vigilij mutavit posteriori loco, in priori nihil mutavit. de quo velim scire quid sentias. Nam Romani in Silvestri Julij nomen mutant. A. Ego suspicor Bedam Julij nomen edidisse, ut alij nonnulli fecerunt. Et inveni in quadam Julij epistula quædam verba quæ huic opinioni occasionem aliquam præbere viderentur. Sed si sub Julio habita est Nicæna synodus, falsa sunt quæ de confirmatione Nicænæ synodi à Silvestro feruntur. Marci quoque Papæ rescripta, in quibus Nicænæ synodi & illorum l x x. canonum mentio fit. & Athanasij de eisdem consultatio inepta est. Sed præstat aliorum opinionem sequi, quæ recepta est, ut sub Silvestro prima synodus fuerit habita.

*t Ivo par. 4.  
c. 125. decret.  
et d. rit. 11.  
cap. 23. pan.*

*u Cæs. libr. 1.  
cap. 45.*

*z c. ult. d. 15.*

Ivo t in excerptionibus Julij in prima, Vigilij in quinta nomen edidit; in Panormia pro Vigilio Julium scripsit. de prima nihil dixit. Liber Cæsaraugustanus u Vigilium habet in quinta, Julium in prima, ut Ivo. (15) B. Sequitur de Conciliis provincialibus; de quibus nihil dicam. Expecto enim historiam Conciliorum, quam à te multi flagitant. A. Hac de re aliquando agemus. Tu verò perge de reliquis hujus distinctionis capitibus dicere. B. Duo tantùm mihi dicenda sunt: quorum alterum est de inscriptione extremi capituli x, quod Nicolao ad Photium adscribendum est, non ad clerum Constantinopoli-

litanur  
Rectè  
Cæsar  
to Ni  
enim e  
de Co  
Contic  
nasij ac  
in Pan  
Anselm  
eo sche  
criptum  
post ali  
lij, ad  
Papa xx  
exstant  
dit quò  
allegare  
deatur e  
ad Orie  
runtur,  
suspicio  
sunt. l  
præfati  
refert.  
neque a  
Notis  
adhuc a  
dam lib  
cap. c  
quis ali  
fortasse  
epistula

litanum, ut malè Gratianus solus scripsit. Rectè enim est apud Ivonem *y* & in libro Cæsaraugustano *z* & in registro Romæ edito Nicolai vel potiùs edi inchoato. Permultæ enim epistolæ desiderantur. (16) Alterum est de Contiano scholio addito capiti *xii. a* Contio *xiii.* quod constat ex verbis Athanasij ad Marcum Papam, quod etiam Ivo *b* in Panormia & in excerptionibus refert, & Anselmus *c* & liber Cæsaraugustanus *d.* In eo scholio refert Marci ad Athanasium rescriptum ex Ivone, quod etiam alij habent. Et post alia de numero canonum Nicæni Concilij, addit hæc: *Citantur & in epistula Julij Papa xxiv. canones, præter illos xx. qui vulgò exstant. Sed illos esse supposititios vel id ostendit quòd nemo, ne Gratianus quidem ipse, eos allegare ausus est.* De his verbis quid tibi videatur exspecto. A. Ex Julij epistula secunda ad Orientis Episcopos plures canones referuntur, & quibusdam numerus additur, quos suspicor esse *xxvi.* Apud Ivonem *e* *xxvi.* sunt. *lxx.* apud Isidorum Mercatorem in præfatione Conciliorum, ut etiam idem Ivo refert. Falsum autem est neque Gratianum neque alios eorum verba referre. quod vel ex Notis meis ad Hadrianum constat. Et qui adhuc alia testimonia quærit, legat Burchardum lib. *i.* cap. *cxliv.* & Ivonem parte *v.* cap. *cclvii.* Sic non debuit Contius, sive quis alius, supposititios eos affirmare. Sed fortasse id dicere voluit, Gratianum non hac epistula usum in hac distinctione *xvi.* aut

*y Ivo d. tit. 11. cap. 12. & c. 30. panor. & par. 4. c. 135. decr.*  
*z Cæs. lib. 2. c. 22.*  
*a Dist. 6. c. 12. septuaginta.*  
*b Ivo d. tit. 11. c. 18. panor. & par. 4. c. 108. & 109. decr.*  
*c Ans. l. b. 1. c. 59. & c. 60.*  
*d Cæs. lib. 1. c. 30. & 31.*

*e Ivo d. par. 4. c. 110. & 111.*

etiam alibi non appellasse verba Concilij Niceni hæc verba Julij. Sed quàm leve hoc sit argumentum, nemo non videt. Et fortasse falsum est. Diximus enim, cùm de fragmentis ageremus *f*, esse fragmentum quoddam sumptum ex hac epistula Julij, quod Gratianus *g* & Ivo *h* Nicæno Concilio adscripserunt. B. Franciscus Turrianus tuus Arabicos nuper *xxc.* canones edidit, & eos esse dicit legitimum illius Concilij partum, hos verò Julij canones ex aliis actionibus ejus synodi sumptos esse, extra numerum canonum. A. Neutrum mihi adhuc persuasit, aut illos esse veros, aut hos ex aliis actionibus sumptos. Sed quid Romani tui de scholio Contiano censent? B. Delenda esse illa verba, *Sed illos esse suppositivos*, & quæ sequuntur. Multò verò magis eis displicuerunt quæ postea scripsit: *Multas autem supra in præfatione rationes adduxi &c.* Ea verba mihi videntur Molinæi esse, non Contij. Nihil enim ea de re Contius in præfationibus editis scripsit; & his contrarium scholium Contius cap. *ii.* distinct. *xxii.* addidit. (17) A. Librariorum fortasse erratum est. Sed surgendum est. alioqui libenter eram te de his rebus auditorus. Tantùm mihi indicem ostendas velim selectorum virorum quorum opera in Gratiani emendatione tres Romani Pontifices sunt usi. B. Ecce tibi, minùs tamen perfectum, indicem. Dum enim absũm, alios adscriptos fuisse accepi.

f *Sup. dial. 14*

g *ii. q. 1. c. 4.*  
judices.  
h *Ivo lib. 4.*  
tit. *ii. ca. 2.*  
*panorm.*

INDEX SELECTORUM  
VIRORUM SUB PIO IV. ET  
PIO V. emendationi Gratiani ab  
eisdem præfectorum hic est.

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIAE  
Cardinalium nomina.

- M. Antonius Columna, Romanus.  
Hugo Boncompagnus, Bononiensis, postea  
Gregorius XIII. dictus P. M.  
Alexander Sfortia, Romanus.  
Guilielmus Sirletus, Calaber.  
Franciscus Alciatus, Mediolanensis.

HIS ADDITI SUNT AB EODEM  
PIO V.

- Guido Ferrerius, Vercellensis.  
Antonius Carrafa, Neapolitanus.

DOCTORUM NOMINA.

- Felix Montaltus Generalis ordinis S. Fran-  
cisci, postea Cardinalis, hodie P. M. Xy-  
stus V. dictus.  
Christophorus Patavinus Generalis ordinis  
S. Augustini eremitarum.  
Thomas Manricus, ordinis S. Dominici,  
Magister sacri Palatij.

Eustachius Lucatellus, Bononiensis, postea  
Regij Lepidi Episcopus.

Josephus Pamphilus Veronensis, ordinis S.  
Augustini, postea Sacrista Palatij, & Episcopus  
Signinus in Campania.

Franciscus Turrianus, Hispanus, postea Societatis Jesu.

Marianus Victorius, Reatinus, postea Episcopus  
Amerinensis.

Michaël Thomasius, Majoricensis, postea  
Episcopus Ilerdensis.

Hieronymus Parisetus, Regiensis.

Antonius Cuccus, Mediolanensis.

Joannes Marfa, Hispanus.

Franciscus Leo, Hispanus, postea Societatis  
Jesu.

ADDITI SUNT.

Melchior Cornelius, Lusitanus.

Latinus Latinus, Viterbiensis.

Arnaldus Pontacus, Gallus.

Petrus Ciacconius, Hispanus.

Franciscus Pegna, Hispanus; cujus sunt ad-  
ditiones Decretalium sine nomine, quia  
templum Dianæ incendisse visus est.

## ADDITIONES.

(1) **D**ISTINCTIONE XI. capituli secundi inscriptio in libro Gregoriano hæc est: *Item Nicolaus Papa I. Michaëli Imperatori. Consequens est &c.* In margine hæc sunt: *Sententia elicitur ex epistola cujus initium Proposueramus. Ivo p. 4. c. 211. Certiora sunt in dialogo scripta. Vid. li. 2. dial. 14. add. 1.*

(2) In eadem distinctiōe, capituli septimi *In his rebus.* inscriptio in eodem libro est: *Item B. Augustinus ad Casulanum epist. 86. In margine est: Ansel. l. 4. c. 43. Burch. l. 3. c. 126. Ivo p. 4. c. 68. Pann. l. 2. c. 158. Poly. l. 3. tit. 23. c. fin. In Notis: Et sicut ] Hinc usque ad finem non sunt in epistola indicata; sed à Burchardo etiam & Ivone & in Pannormia referuntur.*

(3) Proximi capituli inscriptio in eodem libro hæc est: *Idem in libro de fide Christiana. Catholica Ecclesia &c.* In Notis additur: *Hodie inter opera B. Augustini nullum extat hoc titulo. In epistola verò ad Ianuarium (qua est 118.) c. 1. & 2. hæc eadem sententia copiosè exponitur.*

(4) Capituli quinti ejusdem distinctiōnis undecimæ inscriptio est in eodem libro: *Vnde ex dictis Basilij. Ecclesiasticarum institutionum &c.* In margine hæc sunt: *Basilij in libro de Spiritu sancto. c. 27. Burch. l. 3. c. 127. Ivo p. 4. c. 69. Pann. l. 2. c. 159. Et in Notis: Ex dictis ] Hoc caput antea citabatur ex Augustino in lib. ex dictis Basilij. In codice Vercellensi est: Unde Augustinus ait, vel ex dictis Basilij. & retenta est posterior pars hujus disjuncti, quoniam ita citant Burchardus & auctor Pannormie. Ivo autem citat ex lib. Basilij de Spiritu sancto 27. quomodo in margine est indicatum. Ceterum quoniam multis locis glossa obstitit ne emendaretur, necessarium visum est integrum B. Basilij locum & Græcè & Latine afferre. *Ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ &c.* id est, *Dogmatum & institutorum &c.**

(5) Ejusdem distinctiōnis XI. cap. 10. inscriptio

in eadem editione est : Item Leo Papa ad Episcopos per Siciliam constitutos epist. 4. c. 6. Hoc vestra incivimus caritati &c. In margine est : Ansel. l. 1. c. 45. Polyc. l. 1. tit. 17.

(6) Distin. 12. capituli secundi inscriptio est in eodem libro : Item Gregorius Papa quartus. Præceptis apostolicis non dura superbia resistatur &c. In margine est : Ansel. l. 1. c. 20. Polyc. l. 1. tit. 17. In Notis : Gregorius ] Integrum hoc caput invenitur in epistola Gregorij quarti universis Episcopis per Galliam, Germaniam, Europam, & universas provincias constitutis, qua est in codice supra citato bibliotheca monasterij Dominicanorum. Initium verò est etiam in epistola Anastasij II. ad Anastasium Aug. c. 6. Inscriptio capituli undecimi Decreto nostro. 2. q. 6. est ; Sed cum Gregorius scribat omnibus per diversas provincias. In margine est : Poly. l. 1. tit. 7. Ivo p. 5. c. 349. Ansel. l. 2. c. 19. Et in Notis : Ut honoretur ] Hinc usque ad vers. auctoritas addita sunt ex ipsa epistola, qua extat in bibliotheca Dominicana ; & videtur esse Gregorij quarti ; ex qua etiam sumptum est caput Nulli fas. dist. 19. & apud Ivonem utrumque caput simul habetur. Istius autem Aldrici ( ut ex catalogo Episcoporum Ecclesia Cænomanensis colligitur ) mentio est in Concilio apud S. Medardum, quod paulo post Gregorium IV. habitum fuit. Itaque defensio ipsi à Gregorio præstita profuit. Inscriptio capituli 5. Nulli fas. dist. 19. hæc est : Item Gregorius IV. In margine hæc sunt : Poly. l. 1. tit. 17. Ansel. l. 2. c. 21. Ivo par. 5. c. 11. & 349. In Notis : Caput hoc est in eadem epistola Gregorij IV. ex qua sumptum est caput Decreto nostro infra 2. q. 6. Extat autem in codice saepe memorato bibliotheca Dominicana.

(7) Caput tertium Scit sancta. dist. 12. in eodem libro ita inscriptum est : Item Leo IX. Michaëli Episcopo Constantinopolitano epistol. 1. c. 29. & Nicolao I. epist. 2. ad Photium. In margine est : Ivo p. 4. c. 223. & par. 5. c. 44. Pann. l. 2. c. 155. Et in Notis : Caput hoc confectum est ex duobus longè diversis locis. Nam usque ad vers. Si illis sumptum est ex prima epistola seu libello Leonis IX. adversus inauditas præsumptiones

sumptiones Michaelis Constantinopolitani & Leonis Acriani Episcoporum c. 29. ubi loquens de Romana Ecclesia ait: Scit namque quia nihil obsint saluti credentium diversa pro loco & tempore consuetudines, quando una fides per dilectionem operans bona quæ potest, uni Deo commendat omnes. & hæc ferè ab Ivone & in Pannormia referuntur. Altera verò pars accepta est ex epistola secunda Nicolai ad Photium, quæ incipit: Postquam beato Petro. Ibi enim habentur hæc: De consuetudinibus quas nobis opponere visi estis, scribentes per diversas Ecclesias diversas esse consuetudines, si illis canonica non obsistat auctoritas, pro qua obviare debeamus, nihil judicamus, vel eis resistimus. ] De capite 2. dist. 11. dictum est in addit. 1. hujus dialogi.

(8) Ante caput quintum distin. 12. hæc inscriptio est in eodem libro: *Item Nicolaus Hincmaro Archiepiscopo.* Ridiculum est & satis abominabile dedecus, ut temporibus nostris vel falsò insimulare sanctam Dei Ecclesiam permittamus, vel eas traditiones, quas antiquitus à Patribus suscepimus, pro libitu semper errantium infringi patiamur. ] In margine est: *Ivo p. 4. c. 212. Pann. l. 12. c. 156.* Et in Notis: *Habetur in epistola scripta Hincmaro & ceteris Archiepiscopis & Episcopis in regno Caroli Ecclesias regentibus, quæ extat in codice jam memorato bibliotheca Dominicanorum. & ex ea caput hoc locupletatum est. Nam antea brevius erat, ut etiam apud Ivonem & in Pannormia.*

(9) In eadem distin. 12. cap. 11. Illa autem in eodem libro Romano inscriptio est: *Item Augustinus ad Ianuarium epist. 118. c. 1.* Et vers. *Alia verò quæ, est in margine: Ibid. c. 2.* Et vers. *Quod enim neque est in margine: Ferè idem epist. 119. c. 18.* Et vers. *Mater mea.* hæc in Notis sunt: *In hoc capite, quemadmodum & in sequenti, multa sunt emendata ex B. Aug. ac nonnulla etiam addita. Ab hoc tamen loco usque in finem, quoniam verba B. Augustini aptè erant in epitomen redacta, nihil additum est.*

(10) Proximum caput *Omnia.* hanc habet in eodem libro inscriptionem: *Vnde Augustinus scribit ad inquisitiones Ianuarij ep. 119. c. 19.* In margine est:

Ivo p. 4. c. 206. Pann. l. 2. c. 168. Ad vocem *universalis* est in margine: *universa. ori. Ivo*, Pann. Ad voces *servilibus oneribus* est: *Al. adeo servilibus operibus*. Ad vocem *sacramentis* est: *sarcinis. orig.*

(11) Capite tertio, *Sancta Romana*, vers. *Ceterum qui libri*. dist. 15. in libro Romano hæc in Notis adscripta sunt: *Hinc usque ad finem neque in collectione Isidori neque in ullo veteri codice Gratiani eorum qua collata sunt inveniuntur. A verbo (verbis scribo) tamen, in septuagesima ponunt, referuntur à Euchartho & Ivone sine auctoris nomine, in Pannormia ex Gelasio ipso cum LXX. Episcopis. Ferè autem omnia habentur sparsim in libro qui Ordo Romanus nuncupatur. In margine, vers. Quidam quod in septuagesima, hæc sunt: Burch. l. 3. c. 222. Ivo par. 4. c. 69. Pann. l. 2. c. 90.*

(12) De capite primo distinctionis 16. vide in additione undecima dialogi sexti. Ante caput 12. ejusdem distinctionis hæc verba sunt in Romano libro: *Vnde Stephanus scribit dicens Luythobio Episcopo Maguntino: Viginti tantum capitula Nicæna synodi &c.* In margine est: *Ivo p. 4. c. 232. Pann. l. 2. c. 107.* Et in Notis: *Apud Ivonem parte quarta c. 232. habetur magis integrum hoc caput: Capitula Nicæni Concilij testimonio Athanasij septuaginta in figuram septuaginta discipulorum scripta non dubitamus, quibus viginti tantum in Ecclesia sancta Romana. & qua sequuntur.*

(13) Inscriptionem cap. 3. *Clementis*. ejusdem dist. vide dial. 6. addit. 13. & de cap. 7. *Quoniam*. vide additiones dial. 7. & 8.

(14) Ejusdem dist. 16. cap. 8. *Sancta octo*. in eodem libro ita inscriptum est: *Item ex diurno libro professio Romani Pontificis*. In margine est: *Ivo par. 4. c. 132. Pan. l. 2. c. 103.* Et in Notis: *Item ex diurno ] Integram professionem fidei, quando quis in Romanum Pontificem promovebatur, refert Deus - deus Cardinalis in collectione canonum, que servatur in bibliotheca Vaticana. Verba de quibus agitur sunt hæc: quartum Chalcedonense, item V. Constantinopolitanum, & VI. Item Nicænum VII. Octavum quoque Constantinopolitanum.*

(15) In eadem dist. 16. capitis 9. *Sexta synodus.* in eodem libro hæc inscriptio est : *Beda in libro de temporibus c. 55. scripsit dicens.* In margine est : *Ivo par. 4. c. 125. Pann. l. 2. c. 112. Vers. Prima.* ad illa verba, *temporibus Iulij Papa,* hæc in Notis sunt : *Iulij] Certum est synodum Nicenam primam celebratam esse tempore Silvestri. Sed in illa temporum obscuritate mirandum non est Bedam & alios errasse. Vers. Quinta item Constantinopoli temporib. Vigiliij Papa &c.* in margine est : *Pann. l. 2. c. 111.*

(16) Quod ad caput ultimum ejusdem distinctionis attinet, in eodem libro inscriptio ejus est hæc : *Sardicense quoque Concilium auctoritate Nicolai Papa recipitur. Vnde idem scribit clero Constantinopolitano. Quod dicitis &c.* In margine hæc sunt : *Clero. al. electo. Habetur in epistola 6. qua prima ad Photium est. Ivo p. 4. c. 135. Pann. l. 2. c. 117. vers. Quod dicitis.*

(17) Gratiani verba sunt in eodem libro ante caput 12. *Septuaginta.* ejusdem dist. 16. *Scribit enim Athanasius Alexandrinus Episcopus Marco Papa ita dicens.* In margine est : *In epist. Athanasij & universorum Ægypti Episcoporum ad Marcum Papam, sed copiosius quam hic. Ivo par. 4. c. 108. Pann. l. 2. c. 106. Ans. l. 1. c. 59. Polyc. l. 3. tit. 20. Et in Notis: Septuaginta] Ex his Athanasij verbis constat non omnes Nicana synodi canones aut Græcè aut Latine nunc haberi. Et Iulius Papa ad orientales, & Innocentius Victricio, & alij multos ex illa canones citant qui non sunt in his viginti qui in manibus omnium versantur. De qua re scribit Isidorus in præfatione Conciliorum tomis inserta. Et ex epistola quadam Gregorij X. ad Regem Armeniorum, cum Concilium Lugdunense indicisset, (quam manuscriptam habet Cardinalis Sirletus) intelligitur integrum Nicænum Concilium in lingua Armeniorum eo tempore extitisse. Sic enim scribit : Quia verò multipliciter expedit ut in ejusdem celebratione Concilij antiquorum Conciliorum copiam habeamus, Celsitudinem regiam rogamus & hortamur attentè quatenus integrum Nicænum Concilium & alia Concilia quæ habere diceris in Armenica littera cum aliquibus peritis interpreta-*

tionibus nobis cum ea qua poteris celeritate transmittas. Tuncti quoque & Alexandria inventi sunt octoginta canones Arabice scripti sub nomine hujus Concilij, qui Roma in Arabica & Armenica lingua scripti penes eundem Cardinalem Silertum sunt, & nuper etiam in Latinam linguam conversi sunt & impressi.



A  
A  
TA  
DE  
DE C



lio de  
egisse  
mam f  
eo acc  
ctione  
eujusd